



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorm Omnium Generalium Et Provincialium Collectio Regia

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

Parisiis, 1644

Epistola CLXIX. Ioannis Papae VIII. Ad Gregorium Primicerium. Commendat eius studium erga ecclesiam & imperatores. significat se ad Constantinopolitanae ecclesiae perturbationes sedandas paratum ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-15967

opportunitate fuerit, quasi carissimos filios adiuuabimus.
Data, vt supra.

EPISTOLA CLXIX.

IOANNIS PAPÆ VIII.

AD GREGORIUM PRIMICERIVM.

Commendat eius studium erga ecclesiam & imperatores. significat se ad Constantinopolitanæ ecclesiæ perturbationes sedandas paratum esse. ostendit imperatoris legatos honorifice se excepturum, quos etiam a comite Capuano recipi, & ad se mitti iam antea mandarat.

Dilecto viro Gregorio glorioso primicerio, & imperiali baiulo.

LITERIS tuis, quas nobis per Stephanum candidatum fidelem tuum direxisti, relectis, deuotionis tuæ sinceritatem & fidem, quam circa ecclesiam Dei, & gloriosissimos imperatores habes Augustos, enucleatius agnoscences, plurimum collaudamus. Et ideo sacris orationibus nostris, sicut supplici voto postulasti, te Domino commendare, vt & a visibilibus & inuisibilibus securus, ac victor existas, omnino studemus. Et quia magno imperatori tuo ecclesiam Dei pacificari volenti, nos vt fauere debeamus hortaris; id iuxta nostri officii magisterium prompta dumtaxat agere voluntate diuinitus adiuti curamus: quoniam, dicente Apostolo, ecclesiarum Dei omnium nobis sollicitudo incumbit. Quapropter more prædecessorum nostrorum pontificum, Constantinopolitanam ecclesiam multiplicibus scandalis nunc perturbatam, prout iustum est atque possibile, sedare volumus, & pacem perpetuam stabilire. Præterea legati imperiales, quos ad nostra apostolica fastigia dicis esse directos, si venerint, competenti a nobis recipientur honore, & Augustalem per eos nobis delatam legationem clementer recipiemus; atque ipsius legationis textum, & ordinem cognoscentes, vna cum sedis apostolicæ nobis commissæ assensu, quantum fas est, pro ecclesiæ Dei pace imperiali voluntati fauere omnino studebimus. Pro quibus etiam missis, Pandenulfo Capuano comiti scripsimus, vt eos venientes recipiat, & pro nostro amore prospero nobis itinere, Domino annuente, dirigere studeat. Nunc ergo iidem missi præfentialiter Romam

venire procurent : quia nos aliis causis impediti, istas in partes modo, sicut dispositum habuimus, properare non possumus. Data vt supra.

EPISTOLA CLXX.

IOANNIS PAPÆ VIII.

AD THEODOSIVM PATRIARCHAM
HIEROSOLYMITANVM.

Excusat tardum legatorum eius reditum, per quos quædam munera ad eum mittit, rogans vt pro se assidue Deum deprecetur.

Reuerendissimo & sanctissimo confratri nostro Theodosio patriarchæ sanctæ Hierosolymitanæ ecclesiæ.

NOTVM esse volumus sanctitati vestræ quia præsentibus monachi vestri, Theodosius videlicet, Dauid, & Saba venientes Romam ad limina sanctorum apostolorum Petri & Pauli, demorati sunt ibi eo quod nos pro nostræ ecclesiæ causis & vtilitatibus Franciam perrexeramus. At vbi, Deo volente, reuersi sumus incolumes, eis ad vestram paternitatem reuertendi licentiam dedimus, per quos nimirum, causa caritatis, aliquam licet modicam beati Petri apostoli benedictionem fraternitati vestræ mandauimus. Quam petimus, vt pro Dei, & ipsius apostolorum principis amore, nostraque dilectione benigne recipiatis : quoniam nimia Paganorum oppressione grauati, plura, vt volebamus, dirigere non potuimus. Rogamus præterea sanctam vestram in Domino caritatem, vt in sanctis orationibus vestris nostri semper memores existentes, pro nobis preces Iesu Christo Domino nostro quotidie fundere alacri animo dignemini carissime frater. Data VI. Nonas Maii.